



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

Fabri, Honoré

Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII

Quæstio 4. An præcepto annuæ communionis satisfaciant fideles, si in
Ecclesiis Regularium Eucharistiam tempore Paschatis suscipiant?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)

Ecclesie sufficere ad perfectionem Sacramenti, si nil contrarium à Ministro exprimitur. Quæ secum patitur defectum intentionis internæ in Ministro, imò & contrariam, ut ex terminis constare videtur.

18. Ideo, post rematurè excogitatum, duplici conclusione respondeo: Prima sit, D. Thomæ solutionem nullatenus eo tendere, ut suadeat, deficiente intentione interna Ministri, Sacramentum perfici intentione Ecclesie, quæ illius verbis exprimitur. Ratio est evidens, quia conclusio contradictoria est expressè ipsius D. Thomæ in eodem articulo. & non semel aut bis, sed ter: nempe in corpore, & in solutione ad 1. ad 3. unde nisi temerè dici non potest, ibidem ad secundum sibi contradicere. D. co. secundò D. Thomam non curasse solutionem adhibere, quæ evidenter certum baptizatum relinquit, de Sacramento suscepto, sed quæ animo pœnitentis. Ad conscientiam autem quietem sufficit, non posse prudenter dubitare de intentione necessaria ex parte Ministri. Quod contingit, si nil aliud in contrarium exprimat, dum verba ab Ecclesia instituta profert: quia sic exprimit se habere, in illo actu ab intentionis, eam intentionem, quam habet Ecclesia, quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti, quantumvis ipse ignoret sanctificationem, quæ sub illis lateret. Et sic explicanda veniunt verba illa D. Thomæ, quod Minister Sacramenti agit in persona totius Ecclesie, in cuius Ministri verbis exprimitur intentio Ecclesie sufficiens ad perfectionem Sacramenti. Hoc autem sufficere ad moralem certitudinem de valore Sacramenti suadetur exemplo pœnitentis cum attritione accedentis ad Sacramentum pœnitentie, qui licet evidentiam non habeat de Sacerdotio confessoris, cum ejus baptismus, & ordo Sacerdotalis non sint ipsi evidentes, eam tamen moralem certitudinem de his habet, ut prudenter dubitare nequeat. Et in hoc sensu accepta expositio Cajetani, & Thomistarum verum continet. Si verò de intentione Ministri dubitetur, quia infidelis Judæus, vel Mahometanus, iterandus erit sub conditione baptismus, ad incertitudinem, & anxietatem expellendas

§. IV.

Enormis Baronii impostura in Cardinalem de Lugo.

19. Cum sententiam ex Cajetano, Sylvestro, Margarita Confessor. & ex Campanella nu. 4. relatum, & rejectam, à gravissima nota eximere Baronius non auderet, & nullum ei effugium occurrisset, eam derivare tentavit in Eminentissimum Cardinalem de Lugo, fol. 216. dicens: Campanella opinionem Cardinalis de Lugo munitam fuisse suffragio, quæ ait, Parvulos si desit aqua ad baptismum, salvos fieri Sacramento legis naturalis, id est benedictione, aut precatione paternâ. Quod pro de Lugo, (inquit) respondebit Amadeus, ego responam pro Cajetano, & Sylvestro. * Sic Baronius. Ceterum ab hac, & aliis calumniis, quas Cardinali de Lugo affinxit Campanella, se ille purgavit, *tomo de fide, disp. 20. sect. 3. nu. 130. fol. 362.* his verbis: * Prudenter faciet censor, si numquam nisi in scriptis censuram propositionis ibidem scriptæ proferat, imò & apud se exemplar propositionis, & censuræ retineat, quo convincere possit, sive propositio, vel cen-

BARS II.

sura postea alterata referatur. Inveni non semel responsa, vel censuras à me petitas, non eisdem verbis relatas, & editas; ita ut necesse fuerit mihi, pro meis non agnoscere. In quo (attende) aliquis querelæ scrupulus mihi remansit erga Patrem Thomam Campanellam, qui in suo opusculo de Prædestinatione, & Reprobatione, statim initio aliquos suos articulos refert, meo nomine subscripto, & à me simpliciter approbato, sine ulla restrictione, vel explicatione: quos tamen ego quantum meminisse potui, non ita absolute probavi, sed cum explicationibus, & limitationibus addendis, quæ ibi desiderantur. * En Cardin. de Lugo à suffragio, quo suas opiniones Campanella munire tentavit, se in tuto posuit. Secus verò contigit Doctoribus, & Magistris, quorum verba fideliter excerpta dedi. Utinam hæc Baronius pro Cajetano, & Sylvestro reponere potuisset.

QVÆSTIO IV.

An præcepto annua communionis satisfaciant fideles, qui in Ecclesiis Regularium tempore Paschatis Eucharistiam suscipiunt?

1. Quod, excepto primo die Paschatis Resurrectionis, possint fideles, in cæteris diebus à Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis, præceptum communionis in Ecclesiis Regularium adimplere, tradit Navarrus *cap. 21. num. 52.* Ubi sic ait: * El Papa Leon X. concedió a qualquier Sacerdote de la Orden de Fray les Menores, que en qualquiera dia del año pueda administrar la Eucharistia à los seglares, excepto solo el Domingo de la Resurreccion, y por consiguiente à los Dominicos, y à todos los otros, que participan de sus privilegios, lo qual tambien sabemos estar particularmente concedido, y con mucha razon, à los Padres de la nueva, y por ello muy provechosa Compañia de Jesús. Y aunque por algunos respetos puede parecer à algunos, que esta excepcion del dia de la Resurreccion se entienga de toda Comunión, con que se cumple el precepto de comulgar la Pasqua. Parecemos empero, que se hade entender de la Comunión de solo el dia de la Pasqua, ora ella seto me para cumplir con el precepto, ora no. Porque el dicho Papa Leon parece averlo declarado assaz por las palabras que annadió à las de Nicolao V. que concedió antes este privilegio, y por otras razones. * Sic ille. Quem pro opinione solum primum diem Paschatis excludente ad præcepti adimplerionem exponunt nonnulli, & sequitur P. Sâ, *ver. Euchar. nu. 10.*

2. Quorum explicationem genuinam supponit Manuel Rodriguez *tom. 1. quæst. Regul. quæst. 56. artic. 3. §. Ad hanc objectionem*, ex privilegio Leonis X. Martini V. & Sixti IV. id Regularibus concedentibus, præterquam in die Paschatis, vel in die Resurrectionis. Quod de solo primo die Resurrectionis intelligunt, quibus Navarrum explicans consentit M. Ludovicus Lopez *2. p. Instruct. cap. 6. de Bulla fol. mihi 803.* Ubi sic scribit: * Excepto die Paschatis, ex privilegio Leonis, Religiosi Mendicantes possunt communionem impendere laicis ad satisfaciendum præcepto communionis, ut

Nr 3

infi-

insinuat Navarrus in *Sum. cap. 21. n. 52.* * Sic ille, qui bene subjungit, oportere, non obstante hoc privilegio, quod ad satisfaciendum præcepto * laicus ad communionem recipiendam à suo Parocho remittatur. * Quod advertit etiam P. Tamburinus cum sequitur *opus. de Commun. cap. 4. §. 4. num. 51.*

3. Addunt alii, Mendicantes nullo excepto die, posse in suis Ecclesiis Eucharistiam secularibus, undecumque confluentibus, ministrare in Paschate, ut satisfaciatur præcepto annuæ communionis. Ita M. Joannes de la Cruz in *Epitom. Privileg. lib. 2. cap. 5. dub. 4. conclus. 3.* Ubi sic: * Licet Religiosis ministrare fidelibus in suis Ecclesiis Eucharistiam in Paschate, etiam ad implendum præceptum communionis, quia concessit Patribus de Guadalupe Nicolaus V. & Julius Secundus, ut habetur in compendio istius Ordinis, §. 2. & 6. * Sic ille, in cuius sententiam valde inclinatur eodem ordine M. Antonius de Hinojosa, *verb. Eucharist. fol. 229.*

4. Hanc opinionem tenet etiam Manuel Rodriguez tom. 1. *quest. 56. artic. 3. §. Quantum ad secundum.* & seq. Ubi asserit privilegia Nicolai V. Pauli III. & Juli II. ex quibus id possunt omnes Mendicantes per participationem privilegiorum, addens, hoc privilegium, licet non sit in usu, vim suam retinere: * Nam ut supra (inquit) late probavimus, privilegia Minorum, & per consequens aliorum mendicantium, fuerunt confirmata à Pio IV. & ab aliis Pontificibus cum clausula *ex certa scientia, & de plenitudine potestatis*, quæ clausula confirmat etiam privilegia, quæ sunt per non usum abrogata. Et ibi etiam adjecimus *Sexti V. confirmationem*, &c. Et non solum confirmavit dicta privilegia; sed etiam de novo concessit, & per consequens de novo concessit ipsis Minoribus, per viam communicationis, privilegium Nicolai V. & Antonii Cardinalis (nimirum Pauli III. Monasterii Ordinis D. Hieronymi, & privilegium Juli Secundi concessum Fratribus Minoribus. Quæ cum sint tam recentiter concessa, non potest contra ea allegari non usus; præsertim cum non usus minime præjudicet ignorantibus, & talis non usus in Religionibus ex ignorantia privilegiorum fuerit introductus. * Pro eadem opinione militat Bruno Cassaigne, *de Privileg. Regul. part. 2. tract. 8. cap. 2. per totum.* Ubi ait: * Quod licet Regularibus Eucharistiam in die Resurrectionis Dominicæ, secularibus porrigere, etiam ut Ecclesiæ præcepto satisfaciatur. Idque multis suadere conatur, & ad decretum sacre Congregationis responderet. Vide illum.

5. Eandem sententiam cum Rodriguez, & M. Joanne de la Cruz, tenent Beja, & Sorbus, quos citatos sequitur Diana *part. 2. tract. 14. resol. 37.* Ubi in terminis questionem pertractat, inquirens: * An Sacerdos Regularis, tempore Paschali, possit ministrare Eucharistiam secularibus, ut adimpleant præceptum Ecclesiasticum annuæ communionis? * Cui sic: * Negative respondent Suarez, Portel, Gaspar Hurado. Sed affirmativam sententiam non ignobiles authores docuisse constat: hi sunt Joannes de la Cruz, Beja, Rodriguez, Sorbo, & alii, & hoc ex privilegio, &c. Unde ex dictis remanet probabilis ista sententia. Sed ego consulerem, ut Regulares in tali casu faveant Parochis, & talem sententiam in praxim non deducant. * Sic ille. Quod etiam consuleret P. Bruni in *Theolog. Moral. part. 1. tract. 5. quest. 19.* Ubi adductis privilegiis Martini V. & Pauli III. concludit: * Non videtur negari posse, fideles satisfacturos præcepto de communione an-

nua, cum eam, quocumque die à Dominica Paschali ad Dominicam in Albis, in Ecclesiis Mendicantium acceperunt. Sed id ego illis, ut sciam, non sum auctor ob scandalum. *

6. Idem sentit Martinus de San Joseph in *confessor. rom. 1. lib. 1. tract. 5. de Eucharist. num. 14.* En rigor pueden los Religiosos en sus Conventos dar à los seglares la Comunión Pasqual, por privilegio de Nicolao V. concedido al Monasterio N. Sennota de Guadalupe, y extendido por Juli à todos los Conventos de la Orden de San Gerónimo, de que participan todos los Mendicantes, y juzgo tambien, que es probable. Aunque accien que en el tiempo de Pasqua, se abtengan los Religiosos deste Privilegio. *

7. Denique hanc sententiam ultra citatores Ludovicus de S. Juan in *sum. quest. 8. de Eucharist. art. 3. diff. 3.* Bartholomæus à S. Paulo de Badoia *1. q. 280.* Joannes Henriquez in *quest. moral. lib. 1. Et putant probabilem Joannes de Soria in Epistol. p. 2. tract. 1. sect. 1. d. 7. §. Circummissum.* Et licet à Sacram. tom. 2. tract. 7. disp. 3. quest. 19. d. cens. 1. gundez addit, hanc sententiam non posse secum amplecti; sed hoc additum non placet, quia vel est probabilis, ut bene Dianæ loco citato. * Quibus consensit Machado tom. 2. lib. 5. p. 2. *moral. docum. 5. n. 2. fol. mihi 330.* Et Remigius in *tract. Conf. tract. 3. cap. 3. §. 1. n. 6.* Inquirens id esse probabile privilegium Juli Secundi, & Nicolai V. * Y por sentencia dada en favor de los Padres de San Francisco, en confirmació deste privilegio contra las tras, como refiere Fagundez apud Dianam. Non conveniunt, que esto se haga, sino ratas veras, con mucha prudencia, y cautela, por evitar escándalos, y discordias. * Sic Remigius.

8. Non me lateat, hanc sententiam remanere Dianæ p. 9. tract. 9. *resol. 27.* & in super contra sententiam dictam militare declarationem Cardinalium in Epistola ad Archiepiscopum Neapolitanum, *anno 1638.* quam ad verbum adducit Diana p. 6. *moral. 7. Miscell. resol. 58. in fine.* Verum id illam respondit Martinus de S. Joseph ubi supra. * Nisi debet concedi al Padre Diana, quando erat declaratio de la Senores Cardenales en contrario, pues como probare abaxo, para que hagan se estas declaraciones, han de paracer autenticas, y firmadas del Senor Cardinal Presidente de la Sacra Congregación, y legalizadas del Secretario della, y demas de ella de ser promulgadas con los requisitos, que las demas leyes. * Quas condiciones non habere prædictam declarationem, constat ex Diana ubi supra. Quapropter Tamburinus *opus. de Com. cap. 4. num. 54.* ubi illam sibi obijciens, respondet: * De hac declaratione non constat authenticè. Secundum est directa Religiosis, sed Archiepiscopo. Tertio est Epistola particularis pro Diocesi Neapolitana, ubi forte aliquod peculiare subrebat inveniunt. * Præterquam quod Sacra Congregatio non intendit derogare privilegiis Mendicantium illorum ullam mentionem facit, prout necesse erat ad eorum revocationem. Ideo Leander ubi supra, non obstante hac sacre Congregationis declaratione, cujus ipse meminit, præfaram sententiam probabilis esse dixit, ægrè ferens, quod Fagundez ubi supra, non posse secum amplecti.

9. Propter hæc illam improbare non est auctor Tamburinus loco supra citato, & multo minus aliam supra relatum, que in cæteris diebus excepto

primo die Paschatis, Eucharistiam ad satisfaciendum præcepto in Ecclesiis Regularium ministrari posse, concedit. Cæterum ipse neutram præticè probabilem admittit, & merito. *Has duas, inquit, opiniones relatas n. 51. & 52. non possum vocare saltem speculative probabiles, siquidem probabilibus rationibus nituntur, bonosque habent auctores. Et quidem prior (nempe quæ excipit primum diem Paschatis) videtur expeditior, ita tamen, ut neutram in usum deducendam censeam, ne detur occasio, vel admirationis in populo, vel querelarum in Prælatu. *Sicille. Cujus insistentis vestigiis, neutram probabilem existimo, nec credo, privilegia allegata ad praxim unquam reducta fuisse, quia eorum usus omnino impediret Pastores cognoscere vultum pecotis sui, & funditus everteretur medium, quo fideles ab Ecclesia per Parochos compelluntur ad præceptum annuæ communionis adimplendum.

10. Ex quibus fit, potiori jure audiendum non esse M. Joannem de la Cruz in *Epir. lib. 2. cap. 5. dub. 5. concl. 2.* Ubi ait, Regulares posse etiam Viaticum ministrare secularibus in periculo mortis constitutis. Verba ejus sunt. *In sententia (quam ipse tueretur) asserente, licere Religiosis ministrare fidelibus Eucharistiam in Paschate, idem videtur dicendum de ministracione Eucharistie in articulo mortis. *Sicille, quem citatum sequuntur Brunus Cassiag. in *Privil. Regul. p. 2. tract. 8. cap. 2.* & Portel in *addit. ad verb. Sacramentorum administratio*, id probantes ex privilegio Nicolai Quarti, & Sixti Quarti, Minoribus concessis. Sed his abundè respondent P. Añicus in *Curs. Theolog. tom. 7. disp. 31. sect. 3. num. 57.* & Card. de Lugo de *Penit. disp. 8. sect. 2. n. 52. & 53.* omnino videndi, ne illorum prætextu singularis hæc opinio, jure Parochorum valdè derogans, ad praxim unquam deducatur.

11. Unum hic adnotare oportet, Joannem Machado tom. 1. lib. 2. part. 4. tract. 7. docum. 1. num. 6. fol. mihi 379. existimare, virtute Bullæ Cruciatæ, posse fideles, in quacumque veline Ecclesia, adimplere præceptum annuæ communionis. Quam opinionem dicit, tenere Patrem Vazquez in 3. p. tom. 2. disp. 219. cap. 5. num. 47. & Dianam, qui illam citatum sequitur, p. 1. tract. 11. resol. 20. Verba Machadi sunt: *Es tambien dudoso entre los Doctores, si con la Bula de la Cruzada pueda comulgarse el que la tuviere, donde quisiere, y con esso cumpla? Suarez defende de la parte negativa, a quien sigue Nunno, &c. Vazquez, y otros juzgan por probabilissima, y seguta en practica la parte afirmativa. *Verum aperte fallitur Machado, & non levi P. Vazquez injuria, quia de hoc non est dubium inter Doctores, nec auctor ullus partem affirmativam docuit. Sed solus ipse deceptus auctoritate Doctorum, quibus obiter lectis (ut aliquando huic auctori contingit) id falso imposuit. Quia P. Vazquez ubi supra, postquam adduxit verba Bullæ Latine, in qua conceditur *Eucharistiam, & alia Sacramenta, præterquam in die Paschatis recipere: *Sic ait: *Triplex autem conceditur facultas, &c. Tertia est, ut Eucharistiam, & Sacramenta omnia, præterquam in die Paschatis recipere possint. *Et infra: *Tertia facultas non intelligitur pro solo tempore interdicti, sed pro omni tempore, etiamsi non sit interdicti. Idque tribus rationibus probari potest. Prima est, quia in Bulla, Hispano sermone transcripta; cum agitur de receptio de Sacramentorum, dicitur: *I recipel Sacramento de la Eucharistia, y los demas Sacramentos (salvo el dia de la Pasqua) aunque sea tiempo

de entredicho, &c. Per diem autem Paschatis, (attendere) ut capite præcedenti notavimus (ait Vazquez) intelligi debet totum tempus Paschale intra quod præceptum Eucharistie implendum est: nempe ut favore Parochorum, hæc communio, qua impletur præceptum, ipsis reservetur, (quod tenent communiter Doctores apud Dianam *sup. p. 9. tract. 9. res. 27.*) Neque Religiosus virtute suorum privilegiorum alicui Eucharistiam tribuendo, efficere possit, ut præceptum illud impleatur. Neque laici sæculares virtute Bullæ Cruciatæ de manu alterius communicantes, idem præceptum implere possint. *Sic Vazquez, qui non potuit clarius dicere, nec apertius de impostura Joannes Machado convinci, cum non solum virtute Cruciatæ, sed ne privilegiorum Religionis, asserat expressè, præceptum annuæ communionis extra propriam Parochiam adimpleri non posse.

12. Insuper Machado aperte etiam fallitur, dum ait, Dianam ex Vazquez sententiam illam defendere. Quia Diana ubi supra loquitur etiam excipiendo diem Paschatis: rogat enim sic: *An per Bullam Cruciatæ detur facultas recipiendi Eucharistiam (attendere) præterquam in die Paschatis, de manu simplicis Sacerdotis sine licentia Parochi? *Cui responderi: *Nullus ergo eorum opinionem illam docuit; atque adeo nec impostor pro illa impostum citandus erit; nam ipse eam solum refert, malè à se intellectam: & quod auctores citati, ipse sentit, nilque de novo addit. Illis verò in mentem non venit Bullam Cruciatam continere privilegium communicandi extra Parochiam ad adimplendum Ecclesiæ præceptum, ut constat ex dictis.

QVÆSTIO V.

Utrum, qui ad celebrandum, vel communicandum confessus est, si postea recordetur lethalis in confessione oblii, teneatur ante communionem confiteri?

S. I.

Doctorem placita.

1. **N**egativam sententiam imposuit Patri Reginaldo doctus Trullench de *Sacr. lib. 3. cap. 6. dub. 4. num. 13.* & quod valdè miror, diligentissimus etiam scriptor Fr. Leander à *Sacram. tom. 1. tract. 7. disp. 7. quæst. 21.* dicens: *An qui confessionem præmisit, & postea antequam ad altare accedat, recordatur alicujus peccati non confessi, teneatur illud confiteri priusquam communique? Negant aliqui, quos suppresso nomine refert Cornejo, & expressè Reginaldus *tom. 2. lib. 29. cap. 6. quæst. 4. sect. 1. numer. 105.* Verum Reginaldus, nec illam docuit, nec probabilem innuit, sed potius impugnat, & contrariam, ut veram, & communem amplectitur. Verba ejus sunt: *Qui ante communionem præmisit confessionem integram omnium mortalium peccatorum, quæ memoriæ occurrunt: & postea antequam ad communionem accedat, recordatur alicui